



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici
Telemachus**

Fénelon, François de Salignac de La Mothe

Francofurti, 1744

VD18 11007532

Lib. XVII. Argumentum. Telemachi arma. Eius illo in prælio industria. Mors
Iphiclis filii Adrasti. Victoria. Telemachi in vulneratos & præcipuè in
Phalantem cura, atque in Hippia dem cæsum pietas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

strage ulla satiabatur hostium ; ut gregum pastorumque lanienæ instantes feras minùs sævire crediderim. Succumbunt Phalantis copiae, torpenteque desperatione. Terror mortis, furorque præcipitans obruebat facultatem surgendi in pugnam. Frigebant rigore adstricti artus, genuaque vacillabant, ne quidem suffectura in fugam.

Phalantes, cui à pudore, rerumque desperatione meliorum non nihil vigoris supererat, cælum sublatis oculis manibusque obtestabatur. Hippias ante pedes eius corruerat, terribili Adraasti regis conscissus manu. Volutabatur in arena porrectus. Atrum & ebullientem sanguinem præcipitabat magis, quàm emittebat lethale vulnus, quod secundùm latus acceperat. Arcebant vitale lumen coactæ palpebræ, animaque inter ultimos furoris conatus unà cum effluentibus venarum reliquiis extrusa. Phalantes & ipse cruore Hippiadis, quem ab interitu vindicare non valebat, superfusus, ingenti vi hostium cingebatur, ad eum prosternendum totis viribus incumbentium. Clypeò innumerabilia tela ingesta, corpore non pauca vulnera exceperat: suos è fuga colligere non valebat. Atque hanc fortunam eius, quamquam videbant, non commiserabantur Dii.

TELEMACHUS.

LIBER XVII.

Intuebatur ex Olympo has strages Iupiter ; evolutisque fatis duces singulos inspexit, quorum stamen violatura hæc erat dies. Dii in Iovem acriter diligentèrque contuentes, quid fieri vellet,

vellet, ex vultu eius conabantur deprehendere: Cùm ille voce, quæ & Summum & mitissimum deceat: Ad extremum, inquit, res fociorum, ut videtis, adductæ sunt casum. Conteritur, quisquis incidit in Adraasti manum. Sed ut egregiè fallit hæc species! Nunquam diuturna est improborum laus & felicitas. Impius Adraastus, & invifus ob profanatam fidem, vincet, at non quantum is volet. Incidit hæc amicis regibus calamitas, ut inde cautiore, studiosè, quod acturi sunt, tegant. Ceterùm Telemacho suo, quem amat, novum Minerva hinc decus parat. Nec plura Iupiter. A ceteris autem Diis prorogatum silentium, aspectusque discriminis.

Inter hæc Nestor & Philoëtetes acceptis tristibus nuntiis, partem castrorum arfisse, vento magis magisque fundi incendium, trepidare copias suas, à Phalante sisti haud amplius posse fugam; ad arma discurrunt, convocatisque ducibus mandant, ad evadendum incendium è castris militem rapi.

Telemachus ex dolore, quo adhuc opprimebatur, revocato animo, armis se instruit. Minerva dono hæc dederat. Quippe usa Mentoris specie simulabat, ab artifice Salentino ea accepisse: re autem vera curaverat in Ætnæis furnis à Vulcano parari.

Nihil istis limatius, nihil splendidius. Inter alia expressa in iis erat Neptuni cum Pallade de facultate imponendi novæ urbi nominis disputatio. Tridens marini Numinis evocabat ex percussa humo acerrimum manulum. Absiliebat ex oculis eius scintillæ: os effervescebat in spumas: fluentes iubæ ad ventorum imperium: celeres in flexum

flexum pedes, nec facile destituendi nervorum fide; ultro citroque non validius quam agilius librantes sese: laterum recentissimus vigor, qui non permittebat lenem incessum, sed dabat in saltus, cursumque ea celeritate, ut vestigium non reciperet humus. Crederes vocem edere, qualem equi emittunt inter nobiliores impetus.

Contra Minerva tradebat incolis olivam ex arbore, fata ipsius manu. Enitebatur ramus ille fœtum, symbolum amœnæ pacis copiæque, præferendæ utique noxiis bellis, quæ imagine ferocis equi Neprunus adumbraverat. Vicit simplex, ceterum utile Deæ munus, noménque illius Athenis communicavit, magnificentiam memorandis inter paucas.

Aliàs liberales Artes Minervam stipabant, instructæ pennis, tenerrimæque iuventute. Præsidium Deæ implorabant, percussæ Martis, à cuius infano furore nihil eximium, metu; ferè sicut, prædam fami conquirente lupo viso, teneriores greges trepido balatu matrum opem sollicitant. Arachnen quoque, temerè ausam secum acus artificia periclitari, idem Numen, spernentis ac irati vultu intuens, multabat palmâ. Videbantur vel tunc artus infelicis æmulæ extendi, sensimque in aranæ formam attenuari.

Denique in eadem adhuc Clypei regione ipsi Iovi adversus Gigantes consilium; ceteris verò Diis animos Minerva suggerebat. Hasta item Ægidéque obarmata in Xanti & Simoëntis ripa Ulysses manu trahens, confirmatis fugientibus Græcis, Traianorum ducum vim, ipsosque Hectoris terrores reiiciebat; Ulysses denique colloca-

bat in celebri illa machina, quam invenerat celeste ingenium, nocte una totum Priami Imperium everfuram.

Alia scuti regio Cererem exhibebat in uberri-
 mis agris Siciliae, quibus Ennae mœnia cingun-
 tur. Cogebat Dea passim dispersos populos, qui
 aut victitabant venatu, aut immitia poma colli-
 gebant, quæ decusserant ex arboribus. Imbue-
 bat incultos eorum animos præceptis subigendi
 terram, eiusque mitigandi ad reddenda alimenta
 finum. Aratrum tradidit, quo bobus iuncto, in
 sulcos vomere digerebatur humus. Protinusque
 matura seges auri speciem superfudit agris. Decu-
 riebat falce messor dulces fructus, largum operæ
 stipendium. Ipsa aliàs rerum communis ruina,
 ferrum, videbatur hîc loci abire in ubertatis, ac
 deliciarum, quæcunque ex tellure possunt gigni,
 instrumentum. Meabant per prata Nympharum
 chori, cingentibus sertis, & nunc ad fluviatiles
 margines, nunc ad vicina fruteta protrahentes
 saltandi licentiam. Pan (post Midæ sententiam)
 audaciùs ostentabat artificium agrestis tibiæ. Fauni
 cum petulantibus Satyris laxabant procaciam in
 impeditiore nemoris sinu. Metiebantur obesa
 Bacchi tempora circumeuntes hederæ; alteramque
 manum thyrsus acceperat, quieturi auxilium;
 altera in vitem demittebat se, nihil desiderantem
 ex iis, quæ à fertilissimo Autumno consuevit nan-
 cisci. Erat hæc forma Numinis mirabiliter deli-
 cata, generosa, & qualem ars, cum desiderio aman-
 tibus affingit. Præfererat hanc speciem, cum Ari-
 adnen desertam afflictamque ad ignotum flumen
 reperisset.

Subi-

Subibat passim in eo scuto frequens populus:
Nam & fenes erant, frugum primitias deposituri
in Deorum altaribus; virique, quibus lassum cor-
pus rurî trahentibus domum obviam procedentes
coniuges parvos liberos ducebant ad paternas
blanditias. Pastores quoque; quorum alii canen-
tes imitabantur, alii ad tibiæ numeros movebant
pedes. Nihil erat, quod non significaret aut pacem,
aut abundantiam, gaudiumve; nec uspiam facies
iucundæ beâtæque vitæ deerat. Quid? quòd lupos
agnis iungebant pascua; Leonésque cum tygribus
ad agnorum mansuetudinem & societatem descen-
debant, patientes ductûs, quo à pastoreculo infra
ephebos, colligebantur ad pedum. Bellissima sanè
species, admonens omnium, quæ aureis tempo-
ribus dederunt nomen.

His itaque armis denuo indutus Telemachus,
non familiarem sibi clypeum, sed Ægidem præ-
hendit manu. Minerva quippe hanc perferendam
ad eum tradiderat Iridi, quæ clypeo, cui iuvenis
affueverat, clam subducto Divinum illum substi-
tuit, à cuius terrore nec Deos numen suum præ-
stat immunes.

Ita armatus, ut ne corriperetur à flammis,
castra celeriter deserit: quanta potest contentione
Præfectos convocat. Ipsa vocandi alacritas inci-
piebat socios liberare metu, quo palabantur per-
culsi. Fulgor, quem in hominibus non solemus
deprehendere, adolescentis herois oculos succen-
derat. Nec incitator, nec aut perturbatus aut
impos sui, dabat negotia, sed attentus sibique præ-
sens sapientiam ferè imitabatur provectæ ætatis,
quæ rei familiari, liberisque erudiendis se tribuit.

Cete-

Ceterùm acerrimè ferebatur ad ea, quæ imperaverat; quomodo rapidiores undæ non spumas tantummodo devehunt, sed & maximas moles navigiorum abripiunt.

Tanta autem erat iuvenis hæc agentis auctoritas, ut nemo fuerit totius exercitus, qui eam aut mente valuerit assequi, aut contumaciter aspernari. Torpebat ad hanc in senibus, qua pollebant, rerum experientia; ratio, consiliumque exciderat ducibus: ipsaque invidia, naturæ pertinax malum, omnium animis decesserat. Illi auscultare, admirari Telemachum, maturare imperata, non attendentes, cui parerent, sed quasi diuturno iam usu voci eius assueti. Inde progressus ascendit in editiorem locum, ut, quæ ab hoste agerentur, cognosceret. Ratúsque, citiùs occupandos esse incompositos (quippe dum castra succendunt, turbaverant ordines) de industria usus circuitu, fœderatos duces omnes in terga hostium tunc forte induxit, cùm hi omnem adversariorum exercitum crederent incendio implicari.

Subitò igitur oppressis illis illata est perturbatio. Ruebântque Telemachi manu iugulati non difficilius, non infrequentius, quàm sub Autumnii finem decussa folia, cùm à Septentrionibus venti sub renovatæ hyemis initia concutientes ramos vetustis arborum stipitibus extorquent gemitum. Obserebatur cadaveribus eorum, quæ Telemachus ceciderat, humus. Iphiclem, quem ultimum Adrastus genuerat, adacto per viscera iaculo exanimabat; ausum se dare in pugnantis conspectum, ut saluti genitoris, haud dubitantis, se à Telemacho occupandum, consuleret.

Erat

Erat Telemacho & Iphicli forma egregia, robur eximium, agendi solertia par, animusque haud facilè suscipiens metum: habitus idem, & quamvis in diversis frontibus, eadem suavitas. Annis quoque conveniebant & quòd diligenterur à propinquis. Ceterum flos erat Iphicles, à falce cladem & finem nitoris sui, quem agris exhibuit, tum accepturus. Euphorionem deinde Telemachus confecit, celeberrimum Lydiæ coloniae in Hetruria; Cleomenem denique nuper maritum, coniugi suæ, quam porro non erat visurus, opimum ab hoste spoliū debentem ex promisso.

Adraustus ergo cū se tam charo pignore, videret multatum, haud paucos è nobilissimis exercitus sui interfectos, victoriam non nutantem modo sed & ereptam sibi: ira furorēque concussus intremuit. Phalantes autem, qui in proximo iam fuerat, ut ad pedes eius everfus corrueret, victimæ poterat comparari, quæ excussa securi fatalem sibi manum locūque conatur effugere. Adeò momentum duntaxat Adrausto abfuit, ut periclitantem eum conficeret.

Phalantes, ut erat suo suorūque unà dimicantium sanguine inundatus magis quàm perfusus, simul atque Telemachi vocem exaudivit appropinquantis in auxilium, recepto spiritu, nubem, quæ oculis eius se cæperat offundere, discussam sensit. Daunios inopinata impressione hostium à Phalante species maioris periculi ad se tuendos averterat; Adraustūque, nihil mitiorem tygride, cui insertam faucibus prædam iuncta pastorum manus eripuit, expetebat Telemachus in ipso pugnae discrimine, socios liberaturus simul æternò æmulò

&

& bellô. Sed noluit Iupiter tam properata facilitate palma iuvenem potiri. Minerva ipsa precabatur Iovem, ut eum diuturnitate patiendi amplius erudiret ad imperium.

Itaque Adrastus in incrementum virtutis & gloriæ fervabatur Telemacho. Spissæ nubes intendunt se cælo, coactæ à Iove, quæ Dauniis saluti fuerunt. Secutus ingens fragor cæli ostendit, quid velent Dii. Videbatur ad æternitatem firmata Olympi machina, dissoluta concussu, ruinam orbi terrarum ingestura. Præceps per immensum obscurumque aërem fulgor simul acutissima vi luminis percutiebat oculos, simul eo condito in eosdem, atrocissimus horror nocturnæ quasi formidinis recidebat. Protinusque imbres ruentes diremère discrimen.

Adrastus strenuè utebatur cælesti ope; tametsi nihil inde in Deos modestior, aut sollicitior iisdem habendæ gratiæ, merebatur graviori vindictæ reservari. Iubebat militem suum præter castra, incendio passim multata, paludémque adiunctam flumini, medium, quanta posset festinatione, abire. Quod quidem tanta cura eaque celeritate est præstitum, ut ipse abitus eius, quàm prompto esset in rem suam ingenio, satis testaretur. Quamquam autem à Telemacho monerentur reges, ut impune ne sinerent retro Adrastum concedere, ille tamen iniqui aëris veluti aves retiæ alarum beneficiô evasit incolumis.

Satis scilicet erat sociatis Principibus suos in castra reducere, iacturamque, quam passi erant, refarcire. Ea intrantibus miserrimum occurrit spectaculum, inter pauca, quæ præbentur bellô, memorandum. Fuere in castris ægroti & debilitati

rati vulneribus. Hi ergo cùm tabernaculis excedere non valerent, corripiebantur incendio, mediàmque partem exusti, miserabiles eiulatus, ad sonum præ dolore morientium flexa voce, emittebant ad cœlum. Ingens commiseratio Telemachum incedebat, adeò ut nec abstinuerit lacrymas. Sæpe horrore & misericordia revocabatur à lugubri aspectu. Pavebat, quoties intruebatur hæc etiamnum viva & diuturnam horribilémque mortem obitura corpora; quippe ab expiatis carnibus nihil diversa, quæ ambustæ focis, crudo odore omnium nares offendunt.

Eheu! Telemachus exclamat: hæc mala, has ærumnas bellum parit. Quæ cæcitas, quæ infania agit mortales miseros, ut vitæ aliàs tam brevi, tam calamitosæ, maturent tanto impetu sponte sua propinquantem finem? Tormenta, quibus caduca vitæ nostræ spatia obiecère Dii, cur modis tam immanibûs aggravant? Mortales omnes fratres fumus: & ita mutuò confumimur? Miriores feræ sunt. Nec Leonem leo, nec tygris odit genus suum. Alienum persequitur scilicet. Soli homines, tametsi præditi rationis usu, agunt, quod horrent nuda rationis. Ecquid porro bellis opus? terrarum orbi, credo, terræ deficiunt. Atqui hominibus singulis tantum attribuet soli, quantum colendo numquam sufficient. Solitudines numera: quas humanum quando implebit genus? Ecquid ergo futilis gloria, quid inane victoris nomen accendit Principes ad gerendum in locis infinitis bellum? Adeone homo unus, isque irritatæ Nemesis abortus, integras catervas hominum litat suæ vanissimæ vanitati! Omnia implenda cædibus,
vastan-

vastanda incendiis, & siquid ferrum ignésque fecere reliquum, crudeliori telo, fame perimendum: ut homuncio unus, isque totius contemptor humanæ naturæ, exitio plurimorum hominum gaudere valeat, puerilitérque gloriari. Vah degenerem, vah immanem gloriam! Quod odium potest, quod ludibrium reperiri, quo in homines peccetur tam inhumanos?

Nullum potest. Homines non sunt: tantum abest, Semideis ut mereantur addi. Cadent in abominationem sæculorum, quorum admirationem pollicebantur sibi. O quàm sollicita, quam cauta oportet esse bellorum initia! Debent iusta esse; neque id satis est. Debent etiam prodesse. Sanguis populi uni ipsius saluti, cum aliter redimi non valet, est impendendus. At plerumque fit, ut obsequiosa consilia, perversa opinio nominis, vana inutilisque æmulatio, iniusta alieni cupido scitissimè palliata titulís, levi consilio inita cum ambitiosis fœdera, reges fatalibus bellis implicent; in quibus universa obiciunt non necessario discrimini; neque suis, quam hosti, minora detrimenta inferunt. Hæc tum rectè Telemachus.

Ceterum à querelis malorum, existentium è bellis, ad eorum fomenta processit. Ille circumire tabernacula: ille debilibus & morientibus assistere: ille pecunias suppeditare, medicamentis succurrere: adhibere solatia: restituere animos facillimo affatu. Quos verò ipse adire non potuit, per alios curabat levare.

Erant inter Cretenses, in quos habebat imperium, Traumaphilus & Nosophugus, uterque iam inutili ad arma ætate. Traumaphilus Troianæ obli-

obsidioni cum Idomeneo interfuit, didicitque ab Æsculapii filiis medicinam, humanis artibus superiorem. Gravissimis vulneribus, & certò occisuris ex veneno, liquorem infundebat grati odoris, qui exedebat carnes emortuas confectâsque tabe, artubûsque etiam incisione non castigatis faniores meliorésque nullo ferme temporis intervallo restituebat.

Nosophugus autem, quamquam Æsculapii filios non viderat, ope tamen Merionis codicem obtinuit ut profano usu non tritum, ita plenum abditissimis disciplinis; quippe ab Æsculapio hæredes acceperant. Deorum insuper fruebatur amicitia. Nam & hymnos in honorem liberorum Latonæ composuerat, & ovem candidulam ac nulla parte insignem in dies offerebat Apollini, cuius divini instinctus afflatusque in eum frequenter incidebant.

Causam morbi, simul ac ægrotum intuebatur, cognovit; notas eius tum ex oculis, tum ex colore vultus, deinde ex habitu corporis & respirandi intervallis legens. Interdum medicamenta adhibebat, quibus sudor provocatur; pro cuius copia, quantum liberis expirationibus foveatur humanum corpus, quantum debilitetur impeditis, ostendit. Interdum languorem & lassitudinem medicata potione eximebat corporibus, cuius ea vis erat, ut mitigata acerbitate sanguinis in membra vigorem iuventutis reduceret; plerumque asserens, virtutis & fortitudinis defectu homines tam frequenter ad medicorum manus devolvi.

Rationem eius hanc reddidit. Turpe, inquit, est homini, tot morbis esse obnoxium. Sanitatem

Y

mode-

moderati mores creant; intemperantes verò ea, quibùs alimur, vertit in venenum. Quantum humanæ vitæ demit immoderata oblectatio, nunquam medicina restituit. Pauperes sanè minùs debilitat alimenti penuria, quàm divites copia. Toxicum, non nutrimentum ex obsoniis trahimus, quæ amiciora gustatu palatum ultra leges necessitatis ferunt. Deinde ipsa remedia non vacant noxa. Naturam atterunt, & extra summum periculum admittuntur perperam. Adiuventum affert valetudini optimum, semper innoxium, & numquam non salubre usu sobrietas, modus voluptatum, tranquillitas animi, exercitatio corporis. His acerbitas, his æstus detrahitur sanguini, atque humorum abundantia arceatur. Itaque Nosophugus egregiam quidem laudem est consecutus ex medendi peritia, sed longè maiorem ex alendi corporis disciplina; quippe quæ non tantùm morbos præverteret, sed & ex medicamentis percipiendæ salubritati confuleret.

Hos ergo medicinæ heroës Telemachus, ut omnes & singulos, qui decumbebant, inspicerent, misit. Institutò artis suæ non paucos persanabant. Plures tamen liberavêre tempestivâ industriâ, quam ægris iubebant impendi. Quippe curabant eos mundos haberi, ne salubrem cœli affectionem offenderent; convalescentes verò ad leges modùmque victus exactè instrui.

Tanta succurrendi humanitas haud mediocriter tangebant militum animos. Gratias agebant Diis, quod hunc juvenem misissent ad exercitum. Homo non est, inquebant, qui nobis hanc curam; sed beneficum humanâ formâ Numen. Aut si
homo,

homo, Diis certè, quàm hominibus propior; natus, ut beneficiat. Maiorem bonitati eius, quàm fortitudini amorem debemus. Et utinam imperet nobis rex! At feliciori à Diis servatur is populo, quem amant, aureæque renovatâ ætatis eunt ad auctum copiâ.

Hæ laudes tum admurmurabantur, cùm, veritus Adraſti industriam, obiret castra. Erantque illæ ut ab adulatione, ita longe diverſæ ab iis, quas Principum auribus liberè ingerit aſſentatorum impudentia; quoniam pro certo ſumunt, Principes, cùm extolluntur, nec modeſtiâ pollere nec verecundia, ſolisque laudibûs præter modum, opus eſſe, ut inſinuentur eorum amicitia. At vero Telemachus repudiabat, quidquid laudis ſine ſplendido mendacio non poterat tribui. Neque ferebat gratulationes, niſi à foro atque auribus ſuis remotas, & quas verè arbitrabatur meritîs ſuis æquari. Ad id genus laudis certè non torpuit. Sentiebat puriſſimam dulcedinem, quam ex virtute naſci voluerunt Dii, perversis animis, quoniam numquam perceperunt, altiorem atque monſtroſam. Volebat autem hac dulcedine frui magis, quàm tenèri; ſolitus continuò illi non nihil acerbi aſpergere ex eorum, quæ peccâſſet, memoria. Importunitatem, qua impelleretur, obiiciebat animo, quòdque nullo delectu negligeret homines. Pudorem quoque accerſebat in animum ex ipſo ſuo adedò difficili & moroſo ingenio. Reputansque ſe indignum laudis, quidquid eius tribuebatur ipſi, in Minervam hîs precibûs tranſtulit:

Tu, o Diva, una Mentori tradidiſti ab naturæ vitiis caſtigandum Telemachum. Tuum lumen eſt,

quòd ex errandi detrimentis commodum diffidentiamque mei traho. Tu leges, tu modum ponis in imperum laxato animo. Per te dulce mihi est levare alienam miseriam. Te sine non haberer tantum, sed habendus quoque essem odio. Te sine peccarem cum damno, quod nullum repararet Numen. Te sine redirem ad imbecillem infantiam, quæ, quia ignorat, se nondum sufficere sibi, maternum ductum respuit; verum permissa sibi primi gradus fiduciam luit casu.

Nestori & Philocteti nihil erat mirabilius, quam videre Telemachum tam sine stomacho, tam placidè attentum officiis, quæ quisque ab eo expeteret; tam non difficilem, quin & ambitiosum, quod cuique præberet, auxilii; tam solertem denique ad cuiuslibet necessitates futuras. Dubitabant, quid maximè crederent, aliùmque ab Telemacho hominem sibi in eo videbantur intueri. At longè inusitatus ipsis fuit & propè monstrum, ab illo tam anxie Hippiadis funus curari. Et certè ad tollendum corpus eius, illuc loci venit, ubi tegebatur cumulatis cadaveribus cruentum sædèque deformatum; profusisque cum pietatis sensu lacrymis: Nosti nunc, inquit, grandis anima, virtus quanti tua fuerit mihi. Offenderant me mores tui. Insolentes erant, ex vitio scilicet acerrimæ tuæ iuventutis. Scio, multa opus huic ætati venia. Ambos adhuc futurum erat ut vera necessitudo coniungeret. Ego verò peccavi. Ecceur illum eheu! prius mihi subtraxistis, Dii, quàm cogeretur amare Telemachum?

Odoribus erant imbutæ aquæ, quibus postea corpus ablutum est, curante Telemacho. Tum
aggeri

aggeri stipites iussit. Sollicitâ operâ cæsæ abietes è cacuminibus montium devolvebantur funesto obsequio. Ilices item, peryetustum telluris, nubibusque elato vertice infestum genus, ad Gelasi ripas prostratæ; quibus additæ populi, ulmique, nihil aut colore aut frondium in apicibus frequentia lauro inferiores; fagis, egregio illo ignium ex sylvis alimento, aucturis illustrem rogam: qui omnibus nec temere cumulatis arboribus speciem præbebat operis, quod arte consilioque architecti condunt. Iamque emicabant flammæ: versabatur in procellæ modum fumus, fursùmque versus efferebat se, quàm longè oculis fas erat pertingere.

Procedebant ergo Lacedæmonii lento & qui decebat lugentes, gradu: sarissarum cuspides & oculi demissi: squalientes vultus oppletique fletu. Sequebatur Pherecides, non tam confectus senio, quàm luctu, quòd Hippia di suo à teneris alumno superstes erat futurus; porrectisque ad cælum manibus, fursùmque, fluentibus lacrymâs, intuens. Cibis abstinuit post Hippia di fatum: somni otio gravissimos dolores nec ad momentum rupit. Incedens post multitudinem, nec quo vaderet, memor, confundebat tremebunda vestigia. Vocem magnitudo doloris suppresserat; tamen infractum abiectumque animum eius ipsum silentium loquebatur. Viso procul loco, ubi cremandum erat funus, in repentinam amentiam videbatur labi.

Ah Hippia di! mi Hippia di, exclamat. Non te video in posterum. Vixisti; & adhuc infelix Pherecides spiro. Crudelem me! vah tygridem, qui mortem te docuerim contemnere! Hos ego te credideram clausurum oculos, & hoc ab ore ulti

mos tracturum gemitus. Ecquid, heu! vitæ meæ adiecit immites Dii, testari ut de alumni mei fatis queam? Ah fili! tyro meus! cura mea! non te videbo in posterum. At videbo genitricem tuam, eheu! morituram, postquam egerit Pherecidem mortis tuæ reum. At coniugem videbo tuam ætatis flore, palmis eheu! pectus suum, crines unguibus incessuram suis. Atque iterum Pherecides mortis tuæ agetur reus. Ad Stygem, ah! dilecti manes, ad Stygem me abstrahite! iam odi hanc vitalem lucem. Te, lux mea, Hippias, intuebor. Te, te, inquam, Hippias! Iusta ut cineribus persolvam tuis, traho hanc adhuc invisam animam.

Ferebatur deinde corpus extincti iuvenis, exceptum feretro, quod regia opulentia adornabat. Multa aliàs Hippiadi venustas, nec, quibus iuventus commendatur, ornamenta pauca; quæ, tametsi caligine inducta in oculos, haud tamen ita mors valuit detrahere, ut eorum vestigia, mediam adhuc partem integra, pallentibus artubus non infiderent. Collum lacteum decorè fluebat in lævam: Capilli nigri ad candoris adiumentum commodè largèque descendentes, quales non in Aty, non in Ganymede laudârunt fabulæ; nunc verò cum capite, cuius pulchritudinem adiuvabant, desituri in cineres. In latere conspicuum erat vulnus altiùs demissum adacto ferro, quod sanguinem eius cum vita exhaustit.

A funere proximus Telemachus ibat, squallidus & quasi ad suum prodiret rogam. Flores iactabat de more. Ventum erat ad ligna. Cùmque cadaveri circumdatas vestes flamma licentiùs pervaderet, renovatis lacrymis: Vale, inquit, Heros
for-

fortissime! fortissime, inquam; quoniam amicum te non ausim compellare. Quiesce adauctus tam insigni gloria. Invidus felicitati tuæ sim, nisi benevolus tibi. Existi, quibus adhuc nos colluctamur, miseris, & existi, si quis heroum alius, cum gloria. Quas ego deberem Diis gratias, hunc si mihi finem? Bene sit manibus tuis, æternitas nomini, quies cineribus.

Hos gemitus lamenta militum excepere. Moverat eos claritas extincti Principis. Omnes namque bonæ dotes eius, revocatæ luctu, vitia, quæ ætate & moderatorum indulgentiâ contraxerat, dolentium eximebant memoriæ. At longè gravius mœrore Telemachi afficiebantur, cum ipse quæreret abs se: Istène tam ferox, tam importunus, tam fastidiosus in omne genus hominum, tam efferus Græcus? Ut mites, commodos, faciles mores nunc præfert hæc paulo ante intolerabilis arrogantia! Iam & ipse, credo, Minervæ cordi est, & rivalis huic Divæ tantopere dilecto meo genitori. Ab ea iam accepit utique & cælestium donorum gemmam, sapientiam, & tenerrimum ad amicitias animum.

Iamque flammæ cadaver absumpserant, cum Telemachus ferventes adhuc cineres odoribus delibutos in urnam coniicit; & circumdatis floribus reliquias fraterni funeris defert ad Phalantem; qui & ipse multis vulneribus perfossus, totóque exporrectus corpore decumbebat, morti plus proximus, quam vicinus.

Telemachus Traumaphilum cum Nosophugo miserat. Quantum in ipsis opis, artisque erat, adhibuerant. Revocabant à supremis labiis animam,

paulatimque reparati vitales spiritus excitabant
 torpentem. Suavis quidam strenuusque vigor
 (balsamum vitæ appellant) aliam atque aliam ve-
 nam & cor ipsum pervadebat: lethale frigus ex-
 pellebat membris calor iucundè subiens. Ceterùm
 eodem puncto temporis deficientem erexit salu-
 britas, & rursus oppressit tristitia. Fratris iactu-
 ram, quæ tunc primum pervenire ad animum eius
 poterat, dolere cæpit: Eheu! ad quid tanta cura
 servandi mei? Præstat mori: fratrem sequar, quem
 hisce oculis vidi à latere meo rapi ad manes. Fuiſti,
 chare, dulcis frater! Phalantes te dehinc non vi-
 dere, non audire, non amplecti potero; non dolo-
 res meos narrare tibi, non solari tuos. O mortali-
 bus semper infensi Dii! Per vos occidit mihi &
 semper occidit Hippias. At fierine hoc potuit?
 Quid, si somnio? Ah! ambo vigilant testes oculi.
 Vixisti, Hippias! Morientem ipse vidi. Vivam
 ego, donec extiterim vindex tui. Manibus tuis
 inferias latronem Adrastum dabo.

Hos Phalantis dolores medici identidem cona-
 bantur abrumpere; veriti, ne animi ægritudo, re-
 tusa vi medicaminis, augeret malum; cùm Tele-
 machus intrat. Quo conspecto Phalantis animus
 mox duabus iisque diversis affectionibus cæpit
 vellicari. Obversabatur recenti memoriæ Tele-
 machi cum fratre discordia; indeque ortus in ani-
 mo acerbior sensus augebatur tristi Hippiadis de-
 siderio. Sed neque ignorare poterat, fuisse Tele-
 machum custodem salutis suæ, cùm ex Adraſti ma-
 nibus cruentum & iam luctantem cum morte ab-
 straxit. Ceterùm ubi vas conspexit ex auro, in quo
 fratris cineres Telemachus collocârat, solutus in
 uberri-

uberrimos fletus, continuò amplexum obtulit iuveni, diúque obluētatus silentio, tandem debili voce, & crebro interpolata gemitu:

Virtutem tuam quis oderit, magni Ulyssis non degener fili? Tibi hanc, quæ restat, spiritus mei scintillam, difflandam brevì, debeo. Sed & aliud à te memini accepisse; & illud charum magis. Te sine cessisset corvorum pabulo Phalantis frater. Te sine exclusi tumulò, Stygias ad ripas eius oberrarent manes, duro Charontij frustra promittentes naulum. Odiis ergo meis tantam debebo gratiam? Vos ego, immortales Dii, Telemacho evergetas, animæ meæ (ah quàm infelici!) ab hoc corpore liberatores precor. Tu verò Telemache, ne tuis apex defuerit laudibus, quo fratrem es dignatus, & mihi, quæso, obsequium fac præstes.

Inter hæc verba Principis vires & animum impotens dolor exhauserat. Ponè adstabat Telemachus. Vocem non reddidit, ratus, suspendendum sermonem, dum languor abscederet. Quo discusso Phalantes tradiram ab iuvene urnam frequenter osculatus, rigansque lacrymis: Chari, pretiosi cineres, inquit! ecqua meos vobis miscebit dies? Ecce vos nunc, fraterni manes, sequor! Erit nostrî amborum vindex Telemachus.

Interea Lacedæmonii valetudo in dies emendabatur senum illorum operâ, qui divinam Æsculapii artem callebant. Sed & Telemachus assiduè præstò erat decumbenti, ut præsentia sua cumularret medentium industriam. Longè mirabilior visa militibus hæc inimico subvenientis Telemachi benignitas, quàm virtus omnis sapientiâque in prælio servantis sociorum exercitum. Ille porro nec

difficillimos belli labores unquam averfabatur. Somnum modicum capiebat, incisum aut inter-ventu diurnis nocturnisque horis singulis referentium, quæ videbantur opus; aut accuratissima inspectione stationum, quarum nullam duabus continuis vicibus eadem obibat horâ, ut de improvise occuparentur, qui indormirent stationibus. Fermè è castris sudore ac pulvere redibat offusus. Cibi erat minimè exquisiti. Ne sobrietatis & patientiæ exemplum desiderarent gregarii, victitabat eorum ex more. Cùmque laboraret commeatu exercitus, ad inhibendas querelas militum eandem inopiam sibi duxit subeundam. Hi verò labores tantum abest, ut corpus eius debiliarent, ut quotidiano roboris incremento firmatum sensim ad illos occalluerit. Expirabat pedetentim in eo delicata illa gratia, quam natura annorum initiis amat impertiri. Innoxiam formæ licentiam, adhuc diffusam vultu, castigare ceperant tenuiores umbræ, & commasculare frontem. Expulsâque adolescentis ætatis mollitudine artus virilis sensim vigor intrabat.

TELEMACHUS.

LIBER XVIII.

A Draustus cum attenuatis præliò copiis post Aulonem montem recesserat, auxilia opperiens, quibuscum in hostem alteris insidiis erumperet. Non impar ergo leoni erat, qui frustrata fame reiectus ab ovili, revertitur in nemora: redditusque, quibus assuevit, latebris, dentes atque ungues exacuit, instrumenta futuræ gregum, tempus sinat, internecioni. At